

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Discere h
cum fonte primo

Quid est quod ex tanta turba discencium
quorum multi et ingenio pollent et exercicio uigent
tam pauci inueniantur quibus ad scienciam peruenire contingat?

Sciendum est quod in quolibet negocio duo sunt necessaria,
opus uidelicet et ratio operis, que ita sibi connexa sunt
ut alterum sine altero aut inutile sit aut minus efficax.
Verumptamen melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine
quia et pondera aliquando que uiribus mouere non possumus, arte leuamus.
Sic nimirum est in omni studio.
Qui sine ordine et discrecione operatur, laborat quidem sed non proficit,
et quasi aerem uerberans uires in uentum fundit.
Aspice duos pariter siluam transeuntes et hunc quidem per deuia laborantem,
illum uero recti itineris compendia eligentem,
pari motu cursum tendunt sed non eque perueniunt.
Quid autem scripturam dixerim nisi siluam cuius sentencias
quasi fructus quosdam dulcissimos legendi carpimus, tractando ruminamus?
Qui ergo in tanta multitudine librorum discendi ac legendi ordinem non custodit,
quasi in densitate saltus oberrans tramitem recti itineris perdit
et, ut dicitur, semper discentes et nunquam ad scienciam peruenientes.
Tantum enim ualet discretio ut sine ipsa et omne otium turpe sit et labor inutilis.

Hugo ibidem (didascalicon) libro V.

dicendumque est quid sit quod ex tanta turba discencium,
quorum multi et ingenio pollent et uigent exercitio,
tam pauci et numerabiles inueniantur, quibus ad scienciam peruenire contingat.
et, ut de illis taceam qui naturaliter sunt hebetes et tardi ad intelligendum,
hoc maxime mouet et dignum quaestione uidetur,
unde hoc accidat, quod duo pari ingenio et aequali studio uni lectioni intendunt,
nec tamen simili effectu eius intelligentiam consequuntur.
alter cito penetrat, cito quod quaerit apprehendit. alter diu laborat et parum proficit.
Sed sciendum est quod in quolibet negocio duo sunt necessaria:
opus uidelicet, et ratio operis, quae ita sibi connexa sunt,
ut alterum sine altero aut inutile sit aut minus efficax.
uermptamen melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine,
quia et pondera aliquando, quae uiribus mouere non possumus, arte leuamus.
sic nimirum est in omni studio.
qui sine discrecione operatur, laborat quidem, sed non proficit,
et quasi aerem uerberans, uires in uentum fundit.
aspice duos pariter siluam transeuntes, et hunc quidem per deuia laborantem,
illum uero recti itineris compendia legentem,
pari motu cursum tendunt, sed non aequae perueniunt.
quid autem scripturam dixerim nisi siluam, cuius sentencias
quasi fructus quosdam dulcissimos legendi carpimus, tractando ruminamus?
qui ergo in tanta multitudine librorum legendi modum et ordinem non custodit,
quasi in condensitate saltus oberrans, tramitem recti itineris perdit,
et, ut dicitur, semper discentes, nunquam ad scienciam peruenientes.
tantum enim ualet discretio, ut sine ipsa et omne otium turpe sit, et labor inutilis.

Hugo de sancto Victore, *Didascalicon de studio legendi*, 5.5
(C.H. Buttimer ed., pp.103-4, ll.7-29, 1-3).